

SCHOL. Aristot. lib. 5. Ethic. Nicom capp. 5. & 7. τὸ δίκαιον facit duplex: διανεμητικὸν καὶ διορθωτικὸν; illud distributivum, quia in distributionibus vel honoris vel pecuniarum vel aliarum rerum observatur; hoc correctivum, quod in contractibus observat medium inter ζημίαν καὶ κέρδος, id est, inter damnum & lucrum, & ab alio dicitur συναλλακτικὸν, id est, commutativum. Hinc Justitiæ distributio.

4 Justitia distributiva est, quæ servat æqualitatem in tribuendo eo quod quisque meretur.

SCHOL. Hic tenendum est, Justitiam versari circa τὸ ἴσον æquale, hoc est, non circa quodlibet jus (potest enim jus aliquod esse κίβδηλον, in quo non est æquale, Aristot. 1. Rhetoricæ cap. 15.) sed circa jus quod æquale est, & medium inter plus & minus. Justitia igitur servat æquale, adeoque proportionem, quæ justitiæ est μεσότης. Proportio autem est vel geometrica, vel arithmetica; ter-
 // cia quæ ex hisce duabus conflatur & quasi coalescit, di-
 // citur harmonica. Proportio geometrica spectat in ter-
 // minis æqualitatem non distantiarum, sed rationum, ita
 // ut majoris termini major habeatur ratio, eique major
 // portio rei distribuendæ tribuatur. Quatuor sunt termini
 // in omni disjunctâ propottione, videlicet duæ res distri-
 // buendæ, & duo quibus fit distributio. Ex. gr. cupio scire,
 // an æqualis honor sit tribuendus principi & Imperatori?
 // (discipulo & præceptori; rustico & nobili &c.) Ethica me
 // docet, observandum hîc esse justitiam distributivam;
 // Ergo & proportionem geometricam. Considero qua-
 // tuor terminos: 1. Imperatorem, 2. Principem, 3. dignita-
 // tem Imperatoris, 4. dignitatem Principis. Video inæqua-
 // litatem inter Imperatorem & Principem quoad distan-
 // tiam, ille enim excellentior est hoc. Quare ut æqualitas
 // rationis sit, sic cogito: Quanto excellentior est Impera-
 // tor Principe, tantò majorem honorem ei tribuo; & sic
 // servatur æqualitas rationis. De Cyro puero refert Xeno-
 // phon,

Proportio
duplex.

B.